

in §. Interdictum autem hoc eod. titul. de Vi & vi arm. & latius dicam infra in materia interdicti. unde vi: & per illum text. in dict. leg. 3. §. Uti frui. Iam conclusionem tenet ibi Gloss. ordinaria in gloss. 1. in princ. & ibi Din. Bart. Alber. Angel. de Perus. quem text. legunt in §. Supra proximo: & per illum textum tenet expressè Gloss. in leg. 1. §. Interdictum autem hoc in gloss. 1. eod. titul. gloss. in leg. una Cod. Uti possi. in verb. Neque clam. in med. Gloss. in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. in gloss. 2. post medium versic. & idem dico in 4. casu, Gloss. in leg. 3. §. Ex contrario, eod. titul. in gloss. post princ. Nec obstat si subtiliter dicas, quòd ille text. in dict. §. Uti frui possit intelligi de possessione civili, quam habet fructuarius in iure utendi & fruendi: Quia respondeo, quòd pro illa, si turberetur vel expellatur, non habet interdictum unde vi; quia solum competit pro possessione rei corporalis, ut in leg. 1. §. Et generaliter eod. titul. licet detur utile interdictum pro possessione iurium incorporeorum, secundum Bartol. Ang. & DD. in dict. leg. 3. §. Unde vi, eod. titul. & in leg. Quoties, la 2. ff. de Servit. Secundò istam conclusionem probat text. in leg. Arboribus. §. de Illo, versic. Nam quæ ratione. ff. de Usuf. ubi habetur, quòd servo existente in absentia & fuga, proprietarius retinet suam civilem, fructuarius verò retinet suam naturalem; licet aliàs, si esset juncta cum civili, perderetur, ut in leg. 1. §. Per servum qui in fuga. ff. de Acquir. posses. Quam conclusionem extende, ut procedat etiam si sola naturalis possessio sit injusta, ut est illa quam habet ille qui ingressus est rem absentis: Gloss. est notabilis in leg. 1. ff. de Acquir. posses. in verb. Air, prope finem, quam ibi notabilem notant & commendant DD. Alia in leg. unic. Cod. Uti possid. in verb. Neque clam. & ibi DD.

Sed est subtilis, & necessaria difficultas: Quæ possit esse ratio, per quam possessio naturalis, quando est juncta cum civili amittitur per absentiam, & non retinetur in animo, sed quando possessio naturalis est sola sine civili, bene retinetur in animo in absentia? cum potius dicendum esset contrarium, imò quòd quando est juncta cum civili deberet retineri in absentia; cum fortior & potentior sit propter unionem civilis, argumento text. singularis, juncta Gloss. & communi opinione in leg. 1. §. Non alii autem in princip. ff. de Vi & vi armat. ubi, quando habeo civilem possessionem per me, & naturalem per colonum, inquilinum, vel alium; licet per vim dejectus & expulsus sim, non amitto illam naturalem, nec civilem quam per me retinebam, propter unionem; quia mea ci-

vilis fortificatur ratione naturalis: Item etiam argumento text. qui reputatur ab omnibus singularis, in leg. Qui patri. ff. de Acquirend. hered. ubi substitutio, quæ de sui natura est transmissibilis, transmittitur, si est unita cum jure accrescendi: Sic ergo dicamus hic, quòd naturalis possessio juncta cum civili deberet retineri in absentia, sicut retinetur ipsa civilis. Sed huic difficultati respondeo sequentibus modis: Primo modo, quòd ratio est, quia quando utraque possessio est juncta, satis operatur & fatigatur animus in retinenda sola civili possessione in absentia, & non posset ita retinere utramque; quæ ratio cessat quando quis retinet solum possessionem naturalem: & istam rationem ponit Glossa ordinaria in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. in gloss. 2. in fin. & ibi Bartol. fin. column. post medium, & confirmat argumento text. in leg. Quod Labeo. ff. de Compens. Alb. ibi, penultim. column. post princ. Alexand. 9. col. num. 39. Cuman. fin. column. in med. Vincent. penult. column. in princip. & in medio, istam etiam rationem tenet Bald. in leg. unic. Cod. Uti possid. 5. col. in medio, ubi dicit, quòd alia ratio persuasiva non potest dari: Istam etiam rationem ponit Bartol. qui non allegatur, in leg. Si is qui pro emptore. ff. de Usucap. penultim. column. in fin. Sed salva pace Gloss. & DD. ista ratio nihil penitus valet, imò est irridenda: Primò, quia considero, quòd in retinenda & conservanda possessione jam quæsita non requiritur animi cogitatio vel memoria; sed semper retinetur possessio, nisi expressus & determinatus sit animus amittendi vel perdendi possessionem, vel saltem conjecturatus ex lapsu magni temporis, ut supra conclusum est, & in specie facit optimus textus, in leg. Peregrè in princip. ff. de Acquirend. posses. ibi: Nec infirmitatem memoria damnum afferre possessioni, text. in leg. Si is qui animo, eodem titul. ubi furiosus retinet utramque possessionem jam quæsitam, licet in eo non detur vel consideretur animus retinendi: Ergò clarè patet, quòd assidua & specifica animi cogitatio non requiritur, & sic apertè eliditur prædicta ratio. Confirmatur ex doctrina & theorica Aret. in leg. 3. §. Incertam. ff. de Acquirend. posses. 2. col. in medio, dicentis, quòd si ex diuturnitate temporis vel multitudine negotiorum inducatur oblitio, taliter quòd possessor sciat se possidere, sed ignoret locum certum, rem, vel partem quam possideat; tamen per hoc non amittit possessionem: & licet ipse nulla jura allegat, tamen apertè ejus doctrina & theorica probatur iuribus superioribus: & istam doctrinam & theoricam ponit Bartol. in dict. leg. Si is qui animo in fin. idem Bartol. in leg. Si aliquam rem 2. col. num.

num. 2. ff. de Acquir. posses. Secundò, quia si quis haberet plures possessiones civiles in pluribus & diversis locis, vel plures naturales possessiones, solas omnes posset retinere animo in absentia: Sed tunc fatigaretur animus possidentis: ergo illa ratio Glos. & Doctorum confunditur. Unde, in hac difficultate dico, quòd ratio vera & subtilis est: quòd idè possessio naturalis non retinetur animo quando est juncta cum civili, sed quando sola naturalis est de per se bene retinetur; quia retinere in animo possessionem naturalem in absentia, est per fictionem, & non alio modo; quia absens juris dispositione præsumitur esse in re; & fictio numquam habet locum nisi subsistente aliqua justa causa & necessitate, ut probat text. notabilis in leg. 2. §. Si vir uxori. ff. de Acquirend. posses. per quem tenet ibi Bart. Paul. Imol. Aretin. Roman. Alexand. Jason. Vincent. & per eum istam regulam & doctrinam ponit magistraliter Bartol. in leg. Si is qui pro emptore. 10. column. num. 27. ff. de Usucap. & ibi communiter repetentes, præcipuè Jas. num. 250. tenet etiam Bald. licet ejus littera sit corrupta in leg. Sive possidetis, Cod. de Probat. 2. column. n. 2. facit etiam text. expressior cæteris in leg. Non dubito in princ. ff. de Captivis, text. in leg. postliminium, eod. titul. ibi: Idem naturali equitate introductum est, text. in leg. Sciendum, & in leg. Denique. ff. Ex quibus caus. major. text. in leg. Justo, §. fin. de Usucap. sed in nostro casu, quando utraque possessio tam civilis, quam naturalis est juncta, civilis possessio retinetur in animo in absentia, & amittitur naturalis, quia ipsa civilis possessio est potentior & efficacior, & operatur omnes effectus quos utraque possessio simul juncta posset operari: ergo non est necesse, quòd naturalis quæ est juncta cum ea retineatur etiam in animo in absentia, cum ex hoc nulla resultaret utilitas vel effectus: Sed quando possessio naturalis est sola sine civili, utile & necessarium fuit quòd illa retineretur in absentia, ne possessor perderet omnes suos effectus; & tunc meritò admittitur ista fictio & specialitas, quia inest maxima causa & necessitas: & certè ista est vera, juridica, & subtilis ratio, quam ego cogitavi, & postea reperi quòd eam ponit expressè Socin. in leg. 1. ff. de Acquir. posses. antepenult. column. in fin. Angel. de Perus. in leg. Clam possidere. §. Qui ad nudinas, eodem titul. post medium. Paul. in leg. Si unus. §. Pactum ne peteret. ff. de Pactis, & ante omnes istam rationem ponit expressè Petr. de Bellaper. in leg. Licet, Cod. de Acquir. posses. fin. column. in fin. tenet etiam Ripa, non allegando prædictos Authores, in dict. leg. 1. ff.

Anton. Gomez, ad Legem Tauri.

de Acquirend. posses. penult. column. & fortè istam rationem voluit Gloss. ordinaria in dict. leg. 1. eod. titul. supra allegata, in gloss. 2. in fin. & ista fuit ejus mens & intentio, licet Bart. & DD. eam aliter intelligant. Verum tamen est, quòd solus Jas. in dict. leg. 1. eod. tit. 1. column. 44. versic. Mibi nullatenus placet, fuit in nova opinione contra communem, scilicet quòd sicut naturalis possessio sola retinetur in animo in absentia, ita etiam possessio naturalis juncta cum ipsa civili, nisi eo casu quo alius occupasset ipsam naturalem possessionem per ingressum rei: & dicit, quòd ita punctualiter loquitur, & debet intelligi text. in dict. leg. Clam possidere. §. Qui ad nudinas. Sed attende, quòd ista nova opinio & consideratio Jas. non potest esse vera, tum quia est contra plura jura & communem sententiam, prout supra tetigi; tum etiam quia si absens retineret possessionem naturalem in absentia, quando est juncta cum civili, nullo modo posset eam quærere alius qui ingrediatur rem, sicut nec acquirit civilem occupatam: Et ista mea ratio & consideratio contra Jasonem caret responsione. Unde teneo communem opinionem cum superiori ratione.

Quarta conclusio: Si quis possidet rem mobilem inanimatam, ut vas, argentum, librum, & similem rem, vel animatam anima irrationali, ut equum, bovem, vel aliud animal; tunc habet, retinet & conservat utramque possessionem, si in ea naturaliter insistit, vel in manibus suis habet, vel eam habet in præsentia & conspectu: ita probant apertè jura superius adducta in prima conclusione, & in specie probat text. in leg. 3. §. Nerva filius. ff. de Acquirend. posses. & ibi tenet Gloss. ordinaria, in verb. Possideri. Si verò in ea non insistat, nec sit in conspectu vel præsentia ejus, tamen est sub custodia possessoris, taliter quòd est in sua potestate eam naturaliter & corporaliter apprehendere, amittit possessionem naturalem, & retinet civilem: text. est notabilis in dict. leg. 3. §. Nerva filius, cujus verba sunt: Nerva filius, res mobiles, excepto homine quatenus sub custodia nostra sint hæcenus possideri 1. quatenus si velimus ejus naturalem possessionem nancisci possimus, & ibi Bart. & communiter DD. & exemplum quotidianum potest esse in equo vel animali dimisso in pascuis: similiter est aliud exemplum, quando talis res mobilis est sub custodia possessoris, sed possessor est longè absens, & dimisit eam inclusam in domo sua; nam tunc similiter retinebit civilem & amittit naturalem: si verò possessor est præsens, qui civiliter & naturaliter possidet domum vel fundum in quo habeat rem mobilem inclusam in arca vel alia quavis par-

parte; tunc videbatur quod talem rem mobilem possideat civiliter & naturaliter, quia qui possidet continens videtur possidere contentum, & in specie pro hoc facit bonus text. in leg. 1. §. Illud, & §. Plane, & §. Si fundus, & §. Quod autem. ff. de vi & vi arm. sed crederem etiam, quod hoc casu non possideat naturaliter rem mobilem, sed tantum civiliter, per textum, in dict. §. Nerva filius, juncta ratione & communi opinione. Si vero talis res mobilis non est sub custodia possessoris, quia deperdita est, vel aufugit, taliter quod non est in potestate possessoris quando velit eam recuperare; tunc amittitur utraque possessio tam civilis quam naturalis, etiamsi per aliam res illa mobilis non sit occupata: text. est in dict. leg. 3. §. Nerva filius, & ibi Gloss. ordinaria & communiter DD. text. in leg. Rem qua nobis in princ. eod. titul. & ibi DD. Ex quo collige, quod licet in rebus immobilibus semper quis in absentia retineat civilem possessionem, licet naturalis sit ab alio occupata, ut in dict. §. Qui ad nundinas, & supra late dictum est; tamen secus est in rebus mobilibus: & ratio vera & subtilis est, quia res mobilis faciliter potest occultari & contractari; unde possessor videtur amittere animum possidendi: sed res immobilis non potest moveri, occultari, vel contractari, ut de se patet, & probat text. in leg. 2. Cod. Quando & quibus quarta pars debetur, ibi: Immobiles quidem res, qua nec latere facile possunt, unde faciliter poterit naturalem possessionem recuperare, etiam non facta diligenti inquisitione, modo res sit ab alio occupata, modo non: nisi tanta sit ingressi potentia, quod non sit in potestate & facultate absentis eam recuperare; vel absens suspicetur se posse repellere, & animo desinat possidere; nam tunc etiam possessionem civilem amittit, ut dict. §. Qui ad nundinas, & supra dictum est. Et in terminis istam rationem differentiae inter res mobiles & immobiles ponit solus Socin. in dict. §. Nerva filius, 2. column. in medio, versic. Tu considera.

Ex qua conclusione sic confirmata & declarata primo infero, quod si quis emit rem mobilem a non domino bona fide, & cepit eam usucapere; si semel eam perdiderit, vel talis res effugiat ejus custodiam, statim interrumpitur usucapio, ut in leg. Naturaliter. ff. de Usucap. unde licet postea res inveniatur, non prodest illa usucapio, sed oportet incipere de novo: & in expresso ita determinat Paul. de Castr. in dict. §. Nerva filius, quod est bene notandum in practica. Secundo infero, quod tali casu non competere aliqua remedia possessoria ei qui primo possidebat praedictam rem mobilem, nisi re-

medium text. in leg. fin. Cod. Unde vi, ut infra dico suo loco. Tertio infero, quod si isto medio tempore vendat illam rem mobilem cujus custodia est amissa, & se constituat nomine emptoris possidere, vel ei tradat instrumentum, vel titulum juris sui, non transit in eum aliqua possessio nec ejus effectus: Si vero sit res mobilis animata anima rationali, ut servus; tunc si non sit sub custodia possessoris, quia aufugit ab eo, licet perdat possessionem naturalem, bene retinet civilem; & in hoc differt ab aliis rebus mobilibus: cuius ratio est, ne sit in potestate servi dominum sua possessione privare: Si vero talis servus ab alio fuerit occupatus, tunc possessor statim amittit utramque possessionem: text. expressus de utroque in leg. 1. §. Per servum qui fugavit. ff. de Acquirend. posses. ibi: Licet respondeatur quoad ab alio non possideatur, a nobis eum possideri, text. in dict. leg. 3. §. Nerva filius, ibi: Excepto homine, eodem titul. text. in leg. Rem quam nobis, versic. 1. eodem titul. text. in leg. Pomponius in fin. principii eodem titul. text. in leg. Si is qui pro emptore. §. Si servus. ff. de Usucap. text. in leg. Servi & filii. §. Illud. ff. de Furtis, text. in leg. Arboribus. §. de Illo, versic. Julianus. ff. de Usufr. text. in leg. penult. tit. 30. part. 3. si vero non sit occupatus ab alio, sed diu gerat se pro libero, utraque possessio perditur: text. est qui ita debet intelligi in leg. 3. §. Si servus & ibi communiter DD. ff. de Acquirend. possessionem.

Quinta conclusio: Quando utraque possessio vel aliqua earum retinetur mediante procuratore, tutore, curatore, filio, servo, colono, vel inquilino, illa semper retinetur in absentia, etiam si ille, qui detinet pro absente, exeat de re, & illam derelinquat, nec sit in conspectu rei, vel prope rem: text. est in leg. Si colonus. ff. de Acquirend. posses. cujus verba sunt: Si colonus non deserenda possessionis causa exisset de fundo & eo rediisset, eundem locatorem possidere placet, & ibi notat Gloss. Bartol. Ang. Paul. de Castr. Roman. & communiter DD. text. in leg. Clam possidere. §. Qui ad nundinas, eodem titul. ibi: Neminem reliquit, text. in leg. Si ad quod, §. 1. eod. titul. text. in leg. Qui fundum, in princ. ff. Pro emptor. text. in leg. 1. §. Quod servus. ff. de Vi & vi arm. cujus verba sunt: Quod servus, procurator, vel colonus tenet, dominus videtur possidere, text. in §. Idcirco, & in §. Non alii autem, ejusdem l. text. in §. Possidere, versicula. Per eos quoque Instit. de interd. Ex quibus subtiliter inferas, quod talis detentator retinet in absentia suam detentionem, qua mediante verus possessor conservat suam possessionem: &

istam illationem ponit Paul. de Castr. in dict. leg. Si colonus in princ. pro qua facit text singularis & unicus in leg. Si finita. §. Si quis metu. ff. de Damn. infect. secundum Imol. Paul. Roman. & DD. ibi: de quo latius dixi supra ista lege. Secundum inferitur a fortiori, quod si talis detentator locet vel deponat rem apud alium, semper verus possessor retinet suam possessionem mediante animo ipsius primi detentatoris, etiam si ille secundus detentator, qui actualiter habet rem, eam non habeat nomine possessoris, sed nomine primi detentatoris, a quo secundus habet causam: text. est in leg. Qui universas, §. fin. ff. de Acquirend. posses. quem ad hoc reputat ibi singularem Paul. Imol. Aretin. & communiter DD. Tertio inferitur, quod si talis detentator moriatur, vel efficiatur furiosus, retinet dominus & possessor suam possessionem, & eam non amittit nisi data ejus negligentia: text. est in leg. Si de eo. §. Si forte in princ. eod. titul. cujus verba sunt: Si forte colonus per quem dominus possidere decesserit, propter utilitatem receptum est, ut per colonum possessio & retineretur & continuaretur, quo mortuo dicendum est non statim eam interpellari, sed tunc demum cum dominus possessionem adipisci neglexerit, & reperio quod ad hoc illum text. dicit unicum Bald. in cap. Licet causam de probat. penult. column. num. 4. sed adde ultra ipsum, quod similis text. est & expressus in leg. Si id quod §. 1. eodem titul. cujus verba sunt: Et per colonos & inquilinos aut servos nostros possidemus, sed si moriantur, aut furore incipiant, aut alii locent, intelligimur nos per eos retinere possessionem. Sed advertendum, quod inter hos casus est diversitas & differentia: nam quando detentator efficitur furiosus, nullam possessionem amittit dominus, sed utramque retinet; quia tunc saltem est persona, quae detineat: sed quando detentator moritur, bene retinet dominus civilem, sed amit-

tit naturalem; quia tunc non est persona quae detineat vel corporaliter insitit in re, qua mediante possit dominus possessionem naturalem retinere & conservare, argumento text. in leg. 1. §. Scavola. ff. Si quis testam. liber, esse jus. & ex isto fundamento ita tenet Joan. Glossator in dict. leg. Si id quod §. 1. ff. de Acquirend. posses. in glos. & ibi Bartol. Rai. Din. Alber. Angel. Paul. Imol. & ista pen. est magis communis opinio secundum Angel. in dict. leg. Si id quod §. 1. Contrarium tamen probant aperte jura superioris allegata, imò quod in utroque casu dominus retinet & conservat utramque possessionem, & maxime probat text. in dict. leg. Si id quod §. 1. qui pariformiter determinat utrumque casum furoris & mortis: & istam opinionem contra communem tenet Hugo Glossator antiquus in dict. §. 1. & in hanc sententiam inclinat ibi Gloss. ordinaria Accursii: pro qua opinione facit text. cum ratione in leg. Caenam, de usucap. Adde tamen, quod superior conclusio, quae habet, quod quando utraque possessio retinetur mediante procuratore, tutore, curatore, filio, servo, colono, vel inquilino, retinetur etiam in absentia tam possessoris quam ipsius detentatoris; debet intelligi quando talis detentator est absens animo non deserendae possessionis: secus tamen est, si animo eam deserendi; quia tunc statim dominus & sic possessor amittit naturalem quam habet mediante persona detentatoris, sed bene retinet civilem quam habet mediante sua propria persona & animo: ita expressè probat textus a contrario sensu in dict. leg. Si colonus. ff. de Acquirend. posses. in quantum dicit, si colonus non deserenda possessionis causa, &c. & ibi tenet Gloss. ordinaria, Bart. Angel. Paul. Imol. & communiter DD. Bart. Angel. Roman. & alii DD. in dict. leg. Si de eo. §. Si forte, eodem titul. (u) Item etiam, si talis detentator sine voluntate domini possessoris alii tradiderit rem,

(u) Sed advertendum quod circa hoc se offert nova & subtilis difficultas: Quod requiritur in aliquo actu, requiritur etiam in distractu: text. est in leg. Haredes palam. §. Si quid post. ff. de Testam. text. in leg. 1. & per totam. ff. de Acceptilationibus, text. in leg. Nihil tam naturale. ff. de Regul. juris, cum similib. sed possessio quaeritur corpore & animo, ut in leg. 1. ff. de Acquirend. posses. ergo similiter de silentia corporalis & voluntas, animus amittendi requiritur in possess. amittenda. Sed respondeo, quod principalior & efficacior causa in possessione est ipsa voluntas & animus, & illa regitur, & gubernatur: ideo illa sufficit. Vel aliter & secundum, quod in quaerenda possessione requiritur actus naturalis de ipsomet jure primario naturali, argumento leg. 1. ff. de Acquirend. posses. quod quidem jus sequitur & imitatur jus nostrum civile positivum; sed in amittenda possessione non requiritur de jure illo naturali aliquis actus corporeus, nec solemnitas inventa: ideo de jure civili positivè sufficit solus animus & voluntas sine actu corporeo. Vel aliter & tertio: in quaerenda possessione ideo requiritur actus corporeus & major solemnitas, quia agitur & agi potest de praedictio tertii, in amittenda vero possessione solum agitur de praedictio ipsius.

rem, possessor utramque possessionem amittit: text. est in leg. Peregrè. §. Quibus explicitis. ff. de Acquirend. posses. in versic. Ejus verò, cujus verba sunt: *Ejus verò quod servi vel coloni etiam corpore possidentur, non aliter amittit possessionem quam si eam alius ingressus fuisset*, & ibi Glos. ordinaria Bart. Ang. & DD. text. in leg. 3. §. Quod si servus. Text. in leg. Si de eo. §. Si forte in fin. eodem titul. & ibi DD. Glos. & communiter DD. in leg. 1. Cod. Commun. de usucap. & idem, si talis detentator expellatur vel deiciatur per vim ab ipsa re; quia tunc dominus & possessor utramque possessionem amittit: text. est in leg. 3. §. Quod si servus. ff. de Acquir. posses. text. in leg. Peregrè. §. Quibus explicitis. ff. eod. tit. text. in leg. 1. §. Quod servus. ff. de Vi & vi arm. ibi: *Et ideo his dejectis ipse dejectus de possessione videtur, etiam si ignoret eos dejectos quos possidebat.* text. in leg. fin. eod. titul. Quid autem hodiè reperiatur correctum in his casibus? vide text. in leg. fin. Cod. de Acquir. posses. & ibi Glossam magistralem, Bartol. Cin. Butr. Bald. Angel. Paul. Salyc. & communiter DD. Paul. & DD. in dict. leg. Si colonus. ff. eod. titul. Imol. & DD. in dict. leg. Peregrè. §. Quibus explicitis, infra eod. & leg. 13. titul. 30. part. 3.

Item adde juxta prædicta, quòd si ipse Dominus & sic possessor expellatur, & non ille detentator qui rem tenet nomine ejus, non amittit aliquam possessionem: quia non amittit naturalem quam tenet per alium, cum detentator non sit expulsus; nec amittit civilem quam tenet per se, quia censetur esse accessoria & consecutiva illius naturalis & in illa naturali habet fundamentum suum: text. est in leg. 1. §. Non alii autem, versic. 1. de Vi & vi armat. cujus verba sunt: *Si quis me vi dejecerit, meos autem non dejecerit, non posse me interdicto hoc experiri: quia per eos retineo possessionem qui vi dejecti non sunt*, & ad hoc illum textum notat ibi Glos. ordinaria Bart. Angel. & communiter DD. secus tamen est, quando dominus velit sua voluntate & contractu in alium transferre possessionem; quia potest, tam per actum verum, quam fictum, putà per clausulam constituti, vel alio modo, etiam si talis detentator semper sit in re, nec eam tradat: ista est Glossa singularis & unica in jure in dict. leg. 1. §. Non alii autem in verb. Retineo, vers. Sed licet. ff. de Vi armat. quam Glossa ad hoc notat & dicit se nescire, alibi Bart. ibi: notat etiam & commendat Ang. & alii DD. ibi: & illam Glos. ad hoc dicit valde singularem Bartol. in leg. Quod meo. ff. de Acquir. posses. in princ. 2. column. Paul. 2. col. post princ. & dicit unicam Imol. in leg. Peregrè. §. Quibus penult. column. post princ. eodem titul.

ubi pro ea adducit bonum text. & rationem ejus in leg. Qui universas, §. fin. eodem titul. & dicit eam singularem ibi Paul. 2. col. in princ. illam etiam Glossam ad hoc dicit singularem Bald. in leg. Cum testamentum, Cod. de Juris & fact. ignor. 2. column. num. 2. idem Bald. in cap. cum venisset, de restit. spol. 2. column. num. 4. Card. in cap. Olim, el 1. eodem tit. penult. col. Illam etiam dicit unicam Bald. & Angel. in leg. fin. Cod. de Acquirend. possession. in finalib. verb. Aretin. & Alexand. in leg. 3. §. In amittenda. ff. eod. titul. 2. column. Vincent. ibi, 2. column. num. 5. & fin. column. num. 12. Sexta conclusio: Quando quis habet utramque possessionem, vel aliquam earum indistinctè potest eam amittere solo animo & voluntate, etiamsi actualiter insistat in re: text. est in leg. 3. §. In amittenda. ff. de Acquirend. posses. cujus verba sunt: *In amittenda quoque possessione affectio ejus qui possidet intuenda est, itaque si in fundo sis & tamen nolueris eum possidere protinus amittes possessionem*: & ibi notat Glos. Bartol. Ang. Paul. Imol. & communiter DD. Quod intellige, quando verè intervenit animus amittendi possessionem: secus quando non adest animus perdendi, sed nec possidendi; quia tunc non amittitur: Unde, furiosus, licet careat animo possidendi, non amittit, quia non habet animum perdendi: text. est in leg. Si is qui animo eod. titul. & ibi notant DD. Confirmatur per text. in leg. Patre furioso, vers. Nam furiosus. ff. de His qui sunt sui vel alieni jur. ubi, licet furiosus non possit contrahere matrimonium, quia requirit consensum; tamen bene retinet matrimonium jam contractum: text. in leg. Furor. ff. de Sponsat. text. in leg. Oratione, §. fin. ff. de Ritu nuptiar. Item etiam, licet contractus qui consensu celebratur non possit fieri à furioso; tamen gestus ante furorem bene valet & conservatur post furorem: text. est, juncta Glossa & communi opinione, in leg. 2. Cod. de Contrah. empr. text. in leg. Cum aliis, Cod. de Curat. fur. Item etiam, testamentum si sit perfectum & consummatum ante furorem, valet & conservatur etiam post furorem: text. in leg. Furiosum, Cod. Qui testam. fac. pos. & ibi communis opinio. Item etiam, furor superveniens non tollit jurisdictionem, licet impediat exercitium: text. est in leg. Judex datus. ff. de Judic. & ibi communiter DD. Item etiam, furor superveniens non revocat ea quæ sunt perfecta vigore mandati: text. est in leg. Si quis alicui. ff. de Acquirend. hered. & ibi Bartol. & communiter DD. Secundò ex illa regula & conclusione inferitur, quòd dormiens nullam amittit possessionem, quia licet non habeat animum possidendi, non habet animum perdendi: &

aper-

apertè probatur ex dict. leg. Si is qui animo. Tertio inferitur, quòd si ex diurnitate temporis vel multitudine negotiorum inducatur oblivio, taliter quòd possessor sciat se possidere, sed ignoret locum certum, rem, vel partem quam possidet; tamen per hoc nullam amittit possessionem: Et in expressò istam sententiam, & conclusionem probat textus notabilis in leg. Peregrè, in princ. ff. de Acquirend. posses. ibi: *Nec infirmitatem memoria damnum afferre possessioni*; & facit apertè text. in dict. leg. Si is qui animo, & istam doctrinam & conclusionem tenet formaliter Aretin. licet non alleget prædicta jura, in leg. 3. §. Incertam eod. titul. 2. col. in medio, istam etiam doctrinam & conclusionem voluit Bartol. in dict. leg. Si is qui animo, in fin. eodem titul. idem Bartol. in leg. Si aliquid rem 2. column. num. 2. eod. titul.

Et ex hoc datur maxima differentia inter dominium & possessionem; quia licet possessio amittatur solo animo, tamen dominium non potest amitti solo animo & voluntate domini: text. est in leg. Si quis vi. §. Si differentia, eodem titul. nisi decesserit à re, & eam velit habere pro derelicta, ut in leg. 1. & 2. ff. Pro derelict. text. in §. Hoc amplius, versic. Pro derelicto Instit. de rerum divis. text. in leg. fin. tit. 28. partit. 3. Similiter etiam datur alia subtilis differentia; quia dominium, vel jus, quod in alium volo transferre etiam mediante titulo & traditione, non amitto, si ei non possit quæri, licet ei realiter tradam: textus est notabilis & subtilis in leg. Nec utilem. ff. Ex quibus caus. major. & ibi notat Alber. Bald. & communiter DD. text. in leg. Cum quis. §. Si debitorem. ff. de Solutionib. & ibi Gloss. ordinaria. Bartol. Angel. Paul. post Jacob. de Aretin. & Antiquos: text. in leg. Vir uxori, versic. Sed si promissor. ff. de Donat. inter vir & uxori. & ibi Gloss. & Raph. Fulgos. qui reputat hoc esse notabile: possessionem verò statim amitto, si alteri rem trado, licet accipienti non quærat: text. est in leg. 1. §. Si vir uxori. ff. de Acquirend. posses. text. in §. Per procuratorem ejusdem l. textus melior de jure in leg. Quod meo. §. Si furioso, eod. titul. ubi si quis tradat rem furioso quem sanæ mentis existimabat, animo & voluntate transferendæ possessionis, licet ei non quærat, statim tradens amittit: & ratio differentia est, quia in amissione domini intervenit damnum irreparabile, cum dominus amplius illud consequi non posset, possessionem verò sic: & istam doc-

trinam & differentiam per prædicta jura ponit Bartol. in leg. Si ego in fin. ff. de Negot. gest. & ibi Alber. 3. column. in princ. Paul. de Castr. in fin. num. 7. idem Bartol. in leg. Qui hominem. ff. de Solut. in fin. & ibi Paul. de Castr. in princ. Paul. de Castr. in dict. leg. Si quis vi. §. Differentia. ff. de Acquirend. posses. in fin. Idem Paul. in dict. leg. 1. §. Si vir uxori, eodem tit. 1. col. n. 3. & ibi Modern. Bart. & communiter DD. in leg. Quod meo. §. Si furioso eodem titul.

Habemus igitur ex supra dictis, quòd in acquirenda possessione semper requiritur actus corporeus verus vel fictus, modò loquamur in titulo particulari, modò universali: Sed est pulchrum, subtile, & necessarium dubium in materia, an lex vel statutum possit inducere & disponere, quòd in aliquo casu transeat & acquiratur possessio ipso jure sine aliquo actu apprehensivo possessionis, prout hodiè in nostro regno disponit nostra lex 45. de Taur. qua cavetur, quòd mortuo possessore majoratus, statim transeat possessio omnium bonorum majoratus in successorem sine aliquo actu apprehensivo? Et reperiò, quòd Bald. in leg. 1. Cod. Commun. de Legat. in princ. num. 1. expressè tenet, quòd non possit lex vel statutum hoc inducere, tali ratione, licet ipse eam sic non declaret: Nam licet reperiamus quòd in aliquibus casibus ex legis dispositione transeat dominium ipso jure sine traditione vel apprehensione; tamen in eisdem casibus non transit possessio nisi apprehendatur: text. est, juncta Gloss. singulari, in leg. Cum duobus, aliàs si fratres. §. Idem respondit, el 2. ff. Pro socio, text. juncta Gloss. & communi sententia, in leg. fin. Cod. de Sacros. Eccles. text. expressus in leg. Cum hæredes. ff. de Acquirend. posses. text. notabilis & expressus in leg. In rebus, Cod. de Jure dot. Sed certè ista ratio in qua se fundat Bald. & jura prædicta nihil faciunt: quia bene probatur in eis, quòd in casibus in quibus ex legis dispositione transit dominium, in iisdem non transit possessio; sed ibi non dicitur, quòd lex non possit hoc facere & inducere, si vult. (x)

Secundò reperiò in hoc articulo aliam novam & subtilem opinionem, quam ponit Doctor. de Segur. in Repet. leg. Quemadmodum. ff. de Acquirend. posses. 5. column. ubi dicit, quòd si lex vel statutum indistinctè & absolutè diceret, quòd transferatur possessio sine aliquo actu apprehensionis; tunc hoc non possit facere vel inducere: si verò lex dicat, quòd transfertur pos-

ses-

(x) De hac possessione plura scripsere Berengat. in §. Nihil commune, cap. 1. num. 24. Segur. in leg. Quemadmodum, num. 8. ff. de Acquir. posses.